



V Volffius ex honesta familia natus, & in omni genere uirtutum educatus fuit. Is in prima adolescentia bonis literis & Iurisprudentiæ operam dedit, atque linguarum & artium mediocrem sibi usum comparauit. Postea quoque animum ad militaria studia adiecit, & Cæsarum castra sequendo suis uirtutibus effecit, ut auratus eques crearetur. Erat is magna prudentia præditus, & in rebus politicis exercitatissimus. Id cum Elector Palatinus cognouisset, eum plurimum dilexit, & inter intimos consiliarios recensuit. Hunc etiam hinc inde suo nomine ad Imperij comitia & principum conuentus Legatum misit, ac res magnas expedire iussit. quæ quidem ille tanta dexteritate perfecit, ut suo principi esset gratif-